



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De Suffraganeo & Superintendente 114

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**



## Vicesimaquinta Accusatio.

## De Suffraganeo, &amp; Superintendente.

## CAP. CIV.



Vo minus Aduersarij vllam piam, necessariam & Christianam ordinationem Libri, sine reprehensione prætermittent, insectantur etiam id, quod in Libro significauimus, nos Superintendentes aliquos, vulgatis Parochiis & Pastoribus præfecturos. Iam ordinatio est Spiritus S. semperque dum adhuc Ecclesiæ à bonis ac fidelibus ministris gubernarentur, ita obseruatum fuit, sedes Episcoporum non debere longo interuallo, à seiuicem distare, vt ad ordinationes Episcoporum, & alia Ecclesiastica negocia, tantò commodius conuenire possint: quilibet item Ecclesias, Curæ & administrationis suæ adiunctas, saltè in anno semel, sine neglectu suæ Metropolitanæ Ecclesiæ propria persona visitare queat. Quam consuetudinem Ecclesias visitandi, veteres tanta diligentia obseruarunt, vt etiam in Conciliis visitatores ordinauerint: de quo passim videre est, in antiquis Canonibus, præsertim in Canone Concilij Antiocheni nono, & respon. 8. Gregorij, ad interrogationes Augustini, Episcopi Londinensis. Item Gregorij Iunioris ad Bonifacium, C. præcipimus, 16. Quæst. 7.

Primam verò huius ordinationis traditionem habemus ab ipso Spiritu S. præscriptam, Act. 9. Vbi exemplum Petri nobis ob oculos proponitur, qui Ecclesias per Iudæam, Galileam, & Samariam, visitauit, quæ tamen multum ædificabantur, augebantur, & in timore Domini versabantur, Item Act. 14. vbi legimus Paulum & Barnabam Ecclesias, quas Lystris, Iconij, & Antiochiæ, Domino lucrati fuerant, visitasse, eisque seniores præfecisse. Sic ad Phil. 2. & 1. Thes. 3. vbi Apostolus meminit, quod Timotheum suum ablegauerit, ad visitandum Ecclesias, vt experiretur quomodo negocium Christi se apud illos haberet, eas confirmaret, & consolaretur, & ad Titum 1. vbi testatur Paulus, se Titum idcirco in Creta reliquisse, vt quæ deerant, corrigere pergeret, & oppidatum Presbyteros constitueret, sicut ei ordinat.

Porro eum nihil in mundo, maiorem diligentiam, & attentionem requirat, quàm cura animarum, nihilque laboriosius sit, quàm homines originali peccato penitus viciatos & corruptos, Deoque contrarios factos, ad cognitionem & obedientiam Dei reducere, in eaque cõtinerè, Cui Christiano dubium esse potest, ad quemlibet fidum Episcopum pertinere, prospicere non tantum, vt singulæ Parochiæ suos idoneos Pastores secum habeant, verum etiam vt in qualibet Regione, & Proincia suæ Dioceseos idonei Superintendentes sint & visitatores, qui vulgatis Parochiis, in ministerio suo benè ac fideliter obeundo,

auxilio



auxilio sint & adiumento: præsertim cum talium, qui Curam Animarum probe intelligunt, eiusque utiliter administrandæ studio flagrant, nunquam sat multos habere possimus.

Cum igitur sole clarius sit, quam rudes, quam irreligiosi, & spiritu carentes Pastores passim hinc inde in parochiis reperiantur, unicuique Christiano perspicuum est, quanto opere necessarium sit, ut in Diocesi tam ampla, ut Coloniensis est, multi Superintendentes & visitatores constituantur, quod cuilibet Ecclesiæ in tempore consulatur, scandala præveniatur, & si obiecta fuerint, opportunè rursus amoveantur, denique quicquid ad pietatis in Ecclesiæ ædificationem vim habet, benè instituat, promoueat, & conseruetur.

Hoc consilio proposuimus Superintendentes vulgatis Parochis præficere, quos Ecclesiarum necessitas postulabit. Quod Aduersarij ut minus rectè factum vituperant, noluntque, ut vnicus eorum Suffraganeus, omnibus rebus administrandis vbi præsideat. Verum ea ratione, qua ipsi Ecclesias administrari volunt, nempe ut ipsi facultatibus & bonis fruantur, Parochiis verò penitus ignaros, imperitos, culpabiles, & vanos homines, Idololatrias, veneficos, & in summa omnis generis sceleribus & flagitijs oppletos præficiant, qualium, proh dolor, nimis magna turba inter eos quoque reperitur, quibus Aduersarij Parochias, quas contra Deum, & omnes Canones occupant, auendant.

Cæterum videamus cuiusmodi sit ipsorum Suffraganeus, & quomodo omnibus Parochiis, per totam Diocesin Coloniensem satisfacere queat, deinde quibus de causis nostrum Christianum & necessarium propositum vituperent. Suffraganeus in Pontificalibus vocatur (*ein vveihbischoff*) hoc est, episcopus consecrationi seu initiationi propositus. Et rectè quidem, quando quidem totum eius officium consistit in ordinatione Clericorum, initiatione templorum, altarium, vasorum mysticorum, vestimentorum, campanarum, & id genus aliorum, vna cum Confirmatione. Porro qui talis Suffraganeus esse vult, primùm omnium oportet, ut non exigua pecuniæ summa Episcopalem titulum à Romano Pontifice emat: alius quidem titulum Episcopatus Cyrenensis, alius Bethlemitani, alius Thermopolitani, in summa quilibet alicuius loci, vbi aliquando Episcopi, & Ecclesiæ fuerunt, nunc autem, proh dolor, Turcæ & Saraceni, vel alioquin infideles. Quos titulos postquam redimerunt, iamque ad Episcopatus suos ordinandi sunt, iuramento se obstringere coguntur, quod homines tituli sui ad Christum reducere velint, quod tamen nunquam se facturos in animum inducunt. Verum Papa rursus accepta ab illis pecunia, voto ac iuramento suo illos continuo soluit.

Istos homines qui titulo tenus Episcopi sunt, Episcopatum verò nullum habent, alij deinceps Episcopi, qui adhuc Episcopatus suos tenent, conducunt, munusque in Episcopatibus suis ordinandi, & initiandi, illis imponunt. Quod postea non gratis faciunt: sed miris astutijs homines taxant, quibus vel templa, vel Cæmeteria, vel alia quæcunque initiare & consecrare debent. Oportet enim ut magnis sumptibus ad



eiusmodi loca perducantur, & deinceps in propriū locum reducantur: vt splendide ac sumptuose tractentur: omnia item instrumenta & vasa quæcunque ad consecrationem postulant & vsurpant, sibi ac suis propria vendicant: denique præter hæc omnia magnam pecuniæ vim illis persolvere oportet, ita vt sæpenuero miserum aliquod oppidulū pro templi vel cœmeterij consecratione viginti, interdum triginta, aut quadraginta, nonnunquam plures aureos numerare cogatur, prout Suffraganeus magis vel minus auaritiæ morbo laborat: nihil demum tam exiguum est, quod si ab illis consecretur, non splendidum illis lucrum apportet.

Eiusmodi homines plærunque sunt, qui Suffraganei in Pontificalibus appellantur, Talibus volunt Aduersarij primariam curam, & visitationem Ecclesiarum committi, quam tamen antehac maiori ex parte vicariis in spiritualibus, quos vocant, Archidiaconis & Officialibus iniunxerunt: per quos nihilo melius, quàm per illos administrata fuit.

Quod cum ita se habeat, sitque vel ipsa luce meridiana clarius, quare non daremus operam, vt eiusmodi homines constituamus, quales Deus ipse requirit, nempe, qui veram, efficacem, & ædificantem Parochiarum visitationem, & principalem curam in se recipere, ac salutariter exequi queant: eorūque tam multos, quot tam infinitarum Ecclesiarum, quæ Diœcesi Coloniensi cōcreditæ sunt, requirit necessitas? Omnino enim vnus aut alter eiusmodi officiis satisfacere non possunt. Qui si veræ inspectionis Ecclesiarum munus efficaciter præstant, quare non etiam nomen & titulum huius muneris illis communicaremus? Etenim omnia sunt Ecclesiarum Christi, debentque ad earum ædificationem institui, exerceri, & nominari, non ab ementitis, precioque redemptis titulis, & symoniaca tyrannide atque auaritia.

Nunc deinceps causas examinemus, propter quas aiunt nobis licere plures in Episcopatu nostro Superintendentes ordinare, sed debeamus omnia soli Suffraganeo committere.

Pro prima causa adducunt: Naturam exigere, vt vna Ecclesia, vnum tantum Episcopum habeat, & vnum altare. Et S. Patres seueriter condemnasse eos, qui contra vnum ordinarium Episcopum vel altare, alium Episcopum & altare ordinauerunt & erexerunt: ad cuius confirmationem Cyprianum Hieronymum, Augustinum citant.

Hoc loco animaduertas licet impias istorum hominum technas, S. Patres, quos Aduersarij perperam citant, hoc solum postulant, vt in qualibet Ecclesia habere suum proprium Episcopum, hoc est, Superintendentem, & ordinarium animarum curatorem, ille vnicus sit, nec alius contra ipsum Episcopus ordinetur, qui suum peculiare altare habeat, & Episcopale munus gerat. At nō docent, quod tā multis Ecclesiis vnus tantum Superintendens præficiendus sit, sed contrarium, vt iā indicatū est: nēpe vt quando Deus fidelē populū auget, iuxta proportionē  
Episco-



Episcoporum quoque numerus multiplicetur, quo singulae Ciuitates pro se, & proximis sibi adiacentibus locis suam peculiarem Superintendentem habeant. Quemadmodum cernere licet Episcopatus constitutos & distributos in Italia, aliisque Regionibus, quae primò ad fidem accesserunt, suosque Episcopos habuerunt, antequam Episcopale nomen & dignitas, à proprio suo officio ministerioque tam longè recessit; ut longo haec tenore. Nemo enim solus multis Ecclesiis Episcopale munus rectè & utiliter ad edificationem prestare valet. Quamobrem unicuique Episcopo in Ecclesia sua Sacerdotes quidem & Seniores adiungi debent: sicut antiquitus Episcopi suos Chorepiscopos, Archipresbyteros, Sacerdotes & Cardinales habuerunt, quorum frequens mentio fit in Epistolis Gregorij.

Iam attendat, quicumque veritatis studio tenetur. Quod S. Patres aduersus eos scripserunt, qui contra ordinarios Episcopos alios ordinabant, id Aduersarij eò detorqueant, quasi non liceat Episcopo alios quosdam Episcopos & Superintendentes sub se constituere, qui sibi auxilio sint & adiumento in pascendo Christi grege, cui propter numerositatem, propterque grauissimam vastitatem, per Antichristum introductam, solus satisfacere non potest: taliumque Coadiutorum tam multos ordinare, quot necessitatem ac frequentiam populi suae curae commendati postulare animaduertit. Hoc sit responsum ad id quod Aduersarij contra pluralitatem Superintendentium obiiciunt.

Porro ad confirmandum, quod debeamus eorum Suffraganeo soli, què ipsi ordinarunt, omnem inspectionem committere, dicunt, *Eum à Capitulo, totaque Diocesi Archiepiscopali receptum: adeoque non posse simul aliū Superintendentem, sine horrendo dissidio in Coloniaensi Diocesi institui.*

*Responso.*

**S**I Capitulum, & Archiepiscopalis Diocesis dictum suffraganeum, inquamque Christianum Superintendentem Ecclesiarum ordinariè recepit, non dubium est, quin libenter plures eiusmodi sit receptura. Constat enim omnibus Christianis, neque vni neque quatuor possibile esset, ut omnibus Ecclesiis, in tota Diocesi Coloniaensi attendant, & singuli, quicquid Superintendentis officium ac munus postulant, praestant. Ad haec neque Capitulum, neque Diocesis, nec denique vniuersus mundus, cum Christianas & necessarias ordinationes, qualis haec instituiamus, vllum nobis impedimentum obicere potest. In eo enim Dei mandatum sequimur, cui omnes homines, omnesque creaturae cedere ac seruire debent. Quare quòd tot Superintendentes ordinamus, quot necessitas requirit, non est, quod vllum inde dissidium seu confusionem orituram metuatur. Quando autem Antichristiani, qui veram & efficacem Ecclesiae edificationem & emendationem tolerare non possunt, eiusmodi Christianis atque omnino necessariis constitutionibus obstrepunt & obturbant, quemadmodum isti Aduersarij nostri faciunt, id Domino commendandum est, cecisque caecorum ducibus, qui omnibus bonis rebus offenduntur, valedicendum. *Omnis enim plantatio, quam non plantauit Pater coelestis eradicabitur.* Haec de Suffraganeo.